







*P. 47. num. 44.*

*1767.7*

SPECIMEN

CONTINENS

CAPVT IVRIS CONTROVERSVM

AN

RENVNCIATIO HEREDITATIS

PATERNAE GENERALIS,

CONTINEAT QVOQVE RENVNCIATIONEM

LEGITIMAE

QVOD

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. IVR. NAT. ET GENT. PVBLIC. ORDIN.

ET SOCIETAT. LITER. DVISEVVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE VIII. IVLII ANNO CIOIDCCLXVII.

PVBLICE DEFENDET

ERNESTVS CHRISTIANVS ETZLERVS

DOBRILVCENSIS.

*P. 269*

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA





SPRECHEN

CAVIT IVARIS GONTEROVSAM

REINVICIATIO HEREDITARIIS

PATERNAE GIBERALLIS

CONTINENT QVOO ERENVICIATIONEM

LA GITIMAE

ILIVSTRIS IONIVM ORDINIS GRATIA

FRATRE

D. CHRISTIANUS HENR. BREITING

PROFESSOR NATURALI GEMMIVM ORDINIS

ET SOCIETATIS REIPUBLICAE

1780

IN AUCTORITATE

DIE VINDICATA ANNO 1780

FRATRE

FRANZISCVS CHRISTIANVS ET ALII

1780



EX OFFICINA HANNOVERIA





A N  
RENUNCIATIO HAEREDITATIS  
PATERNAE GENERALIS  
CONTINEAT QVOQVE RENUNCIATIONEM  
LEGITIMAE.

---

§. I.



Equidem iuribus pro se introductis quemque renunciare posse, neque postea aditum dari ad renunciata iura, sunt sententiae iuris obviae et satis tritae. Si addimus illud axioma philosophicum: *genus continet species suas*, res decisa esse videtur, *renunciationem paternam generalem continere quoque renunciationem legitimae*. Sed si me audies, neque absque dubio et aliorum contradictione res decisa est; neque diuersa themata accurate satis distincta. Tentabimus,

A 2

mus,





mus, quantum per breuitatem fieri potest, quaestionem paululum distinctius tractare, seruata in applicatione iuris illa regula, qua minimae in facto controuerso obuenientes circumpositae causae ius variare dicuntur, ne quod fieri interdum solet vel a similitudine vel a maiori-  
tate quam vocant ad itenditatem concludamus.

§. II.

Vix vnquam haec videretur dubia quaestio, nisi Ioan. VAVDVS Variar. Qu aest. L. II. qu aest. 18. varios vt Baldum, Iasonem, aliosque Glossatores adduceret, qui renunciatione facta poenitentiae locum darent atque filium ad petendam legitimam admitterent, nisi in renunciatione simul nominatim legitimam expresserit. Et utique videbantur Imperatores DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS suo efficere rescripto in L. 3. C. de repud. vel abstin. hered. vt horum sententia aliquid verisimilitudinis ex Legis autoritate caperet. Rescripserant enim: *Suus heres exceptione pacti, qui testamentum iniustum adseuerans, postea nihil, se de paterna successione petiturum, non ex causa donationis, sed transigendi animo, in iure professus est: cum respuere quaestitam nequiret hereditatem, et transactio nullo dato vel retento seu promisso minime procedat: submoueri non potest.*

§. III.

At vero: Quamuis Imperatores negent, post renunciationem a filio factam; *pacti exceptione eum submoueri non posse*; tamen regulae potius autoritatem concedo,





do, de iure ad legitimam petendam pacti exceptione opposita filium generaliter facta renunciatione, admittendum non esse. Verba enim rescripti, quam nos posuimus causam haud attingere videntur. Filius enim patris quaerit hereditatem tanquam intestatus, qui testamentum impugnat, tanquam *iniustum* ob solennitatum sine dubio defectum, aut tanquam nullum, aut tanquam inofficiosum viraque enim in latiori sensu iniusta testamenta dici possent. Postea vero transactione interposita nihil se de paterna hereditate petiturum, renunciauit successioni suus heres, continuans interim litem, qua iniustam dicebat patris ultimam voluntatem. Obiciebat heres testamentarius, cum quo habebat litem, *exceptionem pacti*. Quaerebatur an repellendus esset suus heres? Negant Imperatores ex duplici causa. 1) *cum respuere nequirit quaesitam hereditatem*. Expresse enim iidem Imperatores in *L. 4. C. eod. quaesitam renunciando nihil agit, sed ius quod habuit, retinet*. 2) *transactio nullo dato vel retento seu promisso minime procedat*. Exceptio enim pacti niteretur transactione illa, qua promiserat suus heres heredi testamentario, se nihil de hereditate paterna petiturum. Iam vero cum pactus esset suus heres transigendi animo, seu transactionem forma pacti iniisset: transactio vero nunquam fieri posset, nisi dato, retento, promisso aliquo; ita illa conuentio ius dare aduersario non poterat, cum vera transactio non esset, qua suus nihil plane caperet. Non ergo poterat exceptione pacti, quale non aderat, sub-





moueri suus heres. At si donandi animo suo iuri renunciaisset, recte potuisset pacti exceptione remoueri, caeteris seruatis, quae ad donationem pertinebant: ob verba *non ex causa donationis*. Patet vero, non agi de renunciatione generali, nec de legitimae petitione.

§. IV.

Sed vt iusto ordine rem decidamus: distinctius videndum, vel cum quo renunciationis pactum initum, vel in cuius gratiam, quam distinctionem non videtur obseruasse *VAVDVS cit. loc.* Ineuntur vero pacta vel cum eo, de cuius hereditate quaeritur scil. patre, vel cum herede. Primum de ea renunciatione, quam cum patre init filius. Nobis quod facile patet cum antiqua illa fictione vnitatis personae, ob quam inter filium et patrem pacta rata esse non poterant, nihil negotii; fac, filium emancipatum noua lege suis aequalem, renunciaisse paternae successioni generaliter, interueniente cum patre pacto. Valebit renunciatio a parte filii; nec legitimam, quae est pars hereditatis paternae et cui maxime renunciaisse cefsendus est, quippe praeter legitimam eidem nihil debebat amplius pater, consequetur.

§. V.

Contra si renunciatio quidem patri facta, at ipse pater postea filio in testamento legitimam honorabili institutionis titulo relinquat, negari non potest, non obstante renunciatione, legitimae petitio, quippe pater iuri suo ex renunciatione quaesito recte renunciare poterat, quod fiebat,





siebat, cum heredem filium scriberet in testamento. Manet interim regula renunciationem generalem hereditatis complecti etiam specialem legitimae. Nec enim hanc caperet filius, nisi testamento mutasset suam voluntatem pater, ut et recte monuit STRYCKIUS *de success. ab intestat. Diff. VIII. cap. 10. §. 24. sqq.*

§. VI.

Alia vero species est, si pactum ineatur cum patre ipso quidem, at in fauorem alterius. An et tunc contineat renunciatio generalis hereditatis etiam specialem legitimae. Nec dubitandum, utique contineri legitimae renunciationem; nisi contingat postea, ut ille decefferit, in cuius fauorem renunciatio facta. Quare si tota hereditas a patre tertio cuidam reliquerit, non ei, in cuius fauorem renunciatio facta, recte aget quaerela inofficiosi testamenti filius, nec submoueri poterit exceptio pacti renunciationis, quippe quae totius quidem hereditatis fuerat, at singularis tamen, scilicet in fauorem personae, qua extincta, cessat ipsa renunciatio.

§. VII.

Tandem si renunciatio facta sit inito pacto inter filium et heredem, certum est, generalem illam renunciationem complecti quoque renunciationem legitimae. Legitima enim sicut titulo honorabili heredis relinquenda, ita recte etiam hereditatis vocabulo continetur. Attamen hoc themate respiciendum arbitror ad circumpositas causas. Fac patrem fecisse testamentum inque hoc heredem





redem in legitima scripsisse filium, in reliqua hereditate Caium amicum. Mortuo patre filius non contentus legitima impugnaturus est testamentum patris tanquam iniustum. Caius precibus efficit, ut filius donandi animo renunciaret hereditati, quo Caius habeat suam partem ex patris iudicio. An et tunc generalis renunciatio excludet filium a successione in legitima. Negandum arbitror, quia mens intentioque partium haud fuerat, tollere testamentum patris, sed efficere tantum, ut quam ob quaerelam nullitatis hereditatis partem Caius habere non potuisset, iam Caius habeat, salva manente filio successio in legitima, cui renunciandi nec animus, nec propositum fuerat. Concludo itaque in regula quidem semper generali renunciatio-  
ne hereditatis et contineri legitimam, nisi ex partium intentione et circumpositis causis appareat, renunciantes non cogitasse de legitima. Addimus vero, renunciatio-  
nem ita fuisse factam, ut valeat ex lege: e. g. in Saxonia servata CONST. ELECT. P. II. 35.

T A N T V M.





ULB Halle  
003 719 014

3



1078










*Br. 47 num. 44.*  
*17677*



B.I.G.

Farbkarte #13

CIMEN  
NTINENS  
CONTROVERSVM  
AN  
D HEREDITATIS  
GENERALIS,  
VE RENVNCIATIONEM  
TIMAE  
VOD  
VM ORDINIS GRATIA  
ESIDE  
HENR. BREVNING  
ET GENT. PVLIC. ORDIN.  
LITER. DVISBVRG.  
OCIO  
ORIO PETRINO  
ANNO CIDIOCC LXVII.  
E DEFENDET  
STIANVS ETZLERVS  
ILVCENSIS.

PSIAE  
A LANGENHEMIA

